Q.Dki
M
S.e, 247
(669)
Theol.
O.VII 1253.
LIBER

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-363183-p0002-7

JOAN. CASELII
LIBELLUS NOVUS.
DE PRONUNCIATIONE LATINI SERMONIS.

Res hæc est omnium prima, & valde necessaria pueris Latinæ scholæ destinatis: neq; tamen tàm hoc agimus, vt vera & primæva pronunciatio postliminio in integrum restituatur, quàm vt insulsitates, quæ alibi aliæ annis etiam pluribus irrepserant, tollantur, aut certè minuantur. Sic autem etiam ad veterem & genuinam pronunciationem viam quodam modo sterni, non sine causa existimabitur.

HÆ NUGÆ SERIA DUCUNT.

Addita adfinem

EPITOME ORTHOGRAPHIÆ

Aldi Manutij &c.

Operà

M. ERICI MULLERI, alias VVOLBERTI,
Scholæ Veteris Hildesiæ p.t. Rectoris.

GOSLARIÆ, Typis Nicolai Dunckeri,
Impensis Christophori Heidmanni Bibl. Hildes.

M, DC, XXXV.

Humaniſs. Lectori S. D.

M. Ericus Mullerus, aliàs V Volbertus.

QVam inſulsè & barbarè ſæpe multi literas & ſyllabas efferant, lector humaniſsime, notius eſt, quàm ut oſtendi hîc id multis debeat: Sanè iis, qui in publicis ſcholis docent, veramq; pronunciandi rationem intelligunt, notiſſimum eſt: & ab aliis quoque, qui quidem rectè educati, prorſus ignorari nequit. Cauſa mali nulla alia eſt, quàm primę educationis perverſitas: Etenim quem fari incipientes frequenter audiunt illius verba effingere imitando paullatim conantur: ſi ſermo illius eſt vitioſus, vitioſè ipſos ſubſequi mirum non eſt. Omnibus igitur, quibuſcum unà familiariter,

sunt liberi, non sit vitiosus sermo, si rectè prorsus aliquando loquantur: nutrices, si fieri posset, Chrysippus etiam sapientes optavit, certè quantum res pateretur, optimas elegi voluit, ut notat Quinctilianus lib. 1. Institut. Orator. cap. 1. Idemque sibi diu elaborandum esse negat, ut demonstret, quantò sit melius optimis ab ipsa statim infantia imbui, quantaque in eluendis, quæ semel insederint vitiis, difficultas sequatur, cum geminatum onus succedentes premat, & quidem dedocendi gravius ac prius, quàm docendi. Propter quod Timotheus quidam clarus in arte tibiarum duplices ab iis, quos alius instituisset, mercedes exigere solitus fuerit, quàm si rudes traderentur, lib. 2. Institut. Orator. cap. 3.

Quod si id viderent, aut saltem ex communi præceptore rectè monentem audirent parentes nonnulli, num-

numquam illis committerent liberos primis annis, qui omnis bonæ doctrinæ ignari passim nunc in angulis, non tam utilitatis publicæ, quàm privati lucelli caussâ ludos aperiunt, haut tamen more majorum. Cæterùm, quæ labes seculi est, nemo propè tam ineptus hodie invenitur, qui non bonus juventutis dux existimetur: imò nulla tam balbutiens anus, quæ se hîc magistram non profiteatur magnũq; puerorum puellarumque numerum quotannis perdat. Barbariei hanc matrem in scholis, præsertim elegantiæ & eruditionis officinis, non ferendam putavit *vir summus Joannes Caselius*, ideoque tollere inde ipsam voluit libello hoc novo de pronunciatione, & quantum in ipso fuit, feliciter quoque illud præstitit: si modò isti, quorum res agitur, id crederent, & quoque sequerentur: profectò rectius multò liberis suis consule-

rent & minus laboris tum discentibus, tum docentibus facesserent, quàm exhiberi deprehendimus, quãdo ab hac parte corrupti bono juventutis informatori tandem traduntur.

Illius elegantissimi ac utilissimi libelli in tabernis librariis cum nulla apud nos aut nostrates exempla extarent, id operam dedi, ut à typographo rursus describeretur, ut legi desitus, paullatim sic ad discentium manus revocaretur; & si non omnia, absurdiora tamen pronunciationis vitia tolleret, aut certè de iis vitandis discentes submoneret.

Idem libello huic subjunxit *Additamentum* & *Accessionem*: illo Scholarchis in primariis civitatibus non contemnenda consilia suggerit de constitutione Classium, potissimùm inferiorum: hæc de iis, quæ ad studium linguarum requiruntur non paullò fortè rectius differit, quàm fit hodie

hodie à quibusdam, qui à veterum institutione hîc abeunt. Quum sciam etiam discentes non rarò in scriptione vocum hærere, præsertim illarum, quæ non uno modo ab omnibus scribuntur, præcipuas ex Aldi Manutii Orthographia, auctâ postea à Caspare Rothio, breviter excerptas ad calcem hujus libelli addidi: plerisque autores apposui: Derivationes autem vocabulorum omisi, ne iis turbarentur incipientes: si qui tamen illas desiderent, habent Becmanni Origines, unde commodè peti possunt. Atque hæc super instituti ratione nunc sufficiant: reliqua ex ipso libello cognosces. Vale. Hildesiæ ex Museo meo XII. Cal. Quinctil. clɔ Iɔ c XXXV.

De pronunciatione Latini sermonis in universum rectè constituenda, aut veteri prorsus recuperanda, neminem aliquid deinceps sperare jubebo: nequaquam tamen de ejus emendatione desperandum censeo. Non est autem nihil in hoc boni sive elegantiæ, si non pronunciemus in universum sordidè aut depravatè. Adultiores frustrà quidem monebimus: adolescentes, inveterata consuetudine inbibitam pravam pronunciationem non omnem dediscent, fortè tamen quidam nonnihil corrigent: infantes aut balbutientes erudiemus facilius, quàm puellos, qui jam fari & Latinè perperam legere cœperint. Ad hanc rem opus est primis elementis: quæ sunt litteræ, non scriptæ, sed voce prolatæ: de ijs, quo ordine nobis videbitur, potissimum servaturi introductum initio, tot saculis, quasi singulari religione servatum, (etsi non adeo multum referre arbitror, quem quis sequatur) nonnihil monebimus. Etenim prisci & primi non omninò desipiebant, & si quis quid reperiat melius, quod fieri non potest, aut commodius *(hoc enim potest)* ad rem aut nihil fuerit aut perparum. *De numero litterarum contendant, qui velint, & conveniant inter se, ut primùm poterunt: nihil enim illa seria ad has nugas. In hisce tamen nugis fortè hoc sit serium, ut omnium litterarum observetur & retineatur sincera pronunciatio, sive enunciationem nominare malis, primùm primarum. Primæ autem, sive principes, sunt, quæ vocales dicuntur à grammaticis: Recensent eas quinq; Latini, quæ hisce*

figuris

figuris repræsentantur: A, E, I, O, V, sive characteribus, si non ijsdem neq; tamen prorsus dissimilibus: a, e, i, o, u. Signa sunt vocis primaria primaria: sed quia alij vocem sive linguam aliò torquent, hinc oritur diversitas, vt alij commodiùs pronuncient, alij ineptiùs, sive alij elegantiùs, alij mediocriter, alij sordidissimè, ne dicam barbarum in morem, dum non cogitant, nedum animadvertant, ad quod edocti non sunt, quo ipsi modo linguam vocemúe dirigant. Hac de re inconsultus, imò consultus. sive interrogatus, persæpe à familiaribus, dicam non sententiam quaquem stare oportere arbitrer, sed quid mihi videatur, aperiam, multisq; alijs, viris non inelegantibus, quibuscum hac de re obiter, absq; contentione, contuli, & quidem joco vtplurimum. Neq; enim hæc res tanti momenti est, vt quæ per se, neq; rem auget, neq; honores, neq; imperium conciliat, neq; multis tamen de causis minus negligenda, quàm negligi debet tela & colus à sexu altero. Quod si quis contrà pugnet, statim absq; conditione manus dabo. Cur enim ijs non cedam, qui graves rationes non intelligunt, minutas audiendas non existimant. Audivi, qui loco vocalium, a, e, i, o, u, dicerent, ae, ee, ie, oe, ue: hæc singula monosyllabæ. Hoc nemo probat: sed dici dixi, & audivi puer: quod nos statim reijciemus, accipiet fortè nemo, nisi qui nihil intelligat, & aurium judicio in universum destituatur. Iam de ijs ordine & abusu in pronunciatione singularum.

A igitur est A: quid enim aliud? vt homo est homo, rides? ego autem te non rideo, etsi rideo: doceo autem te, si accipis. Etenim quia hoc A alij aliò torquent,

quent, quot hoc modis fiat, videamus, etsi non possumus: sunt enim aberrationes infinitæ. Non dubium, fieri pluribus modis, sed tribus fieri palàm est: aut enim, uti in his & vicinis, etiam politioribus, ut putatur, regionibus, pronunciatur perobscurè, sive ut longinquiores & elegantiores adserunt, supra modum obscurè, nimium inclinans ad O, ut hospes ille inter A & O vix differentiam, aut etiam nullam faciat. Eiusmodi est apud Ebræos nota vocalis cametz. Hoc autem, quod modo reprehendi & vitandum aio, est Germanorum, non omnium, sed plerorumq3, cum primis gentis Saxonicæ, à quibus neque Thuringos excipio, neque Misnicos. Sunt ibi tamen qui clarum usurpent, quod solum probatur: pauci, & cumprimis VVestphali, nimis aperto ore pronunciant: sicut vulgus Italicum cantillat totos dies: la, la, la, la: la, la, la, la: la, la, la, la. Tamen hoc A clarisonum minus improbem, imò potius feram, quàm nostrum obscura ferè obscurius, quasi ipsum audiri ab alijs nolimus. Fert etiam præse speciem singularis supinitatis, quasi ipsos paululum recludere grave sit.

Videamus & aberrationem in pronunciandâ vocali E. Ad sylvam Hercyniam ejusq3 fines cis Visurgim & fortè ulterius in vicinia pro E, E I, ac si sit ei, efferunt: quod in alphabeto puelluli primùm imbibunt, nec deinceps dediscunt facilè: namq3 pro b, c, d, e, g, p, t, docent, puellos inepti ad legendum præitores, bei, cei, dei, gei, pei, tei, omnia μονοσυλλάβως. Ex hac prima lectionis perridicula disciplina, prava & supra modum inepta & falsa similia omnia consequi oportet, ut pueri semper ei legant pro e, potissimum non sequente con-

consonante in eâdem syllaba. Sit exemplo beineidicamus domino: *pro* benedicamus domino. *Item* beinei valeitei, *pro* bene valete. *Sic* eigo, mei, tei, sei: *pro* ego, me, te, se: *etiam* eist *pro* est. Alij *E pronunciatione nimium depressa;* alij *nimium aperto ore proferunt: quæ duo vitia verbis non facilè, aut certè non satis commodè explicâro.* Sunt *qui alicubi inter pronunciandum E prorsus in A convertant. Vbi & scribitur & dicendum est:* verbum domini manet in æternum, *horridè pronunciant:* varbum domini maânet in ætárnum. *Quin tum sibi rem valdè seriam videntur agere, & rideri, reprehendive nolint: nec faciendum censeam: cur enim tibi in re levi inimicum pares, cui nihil commodes?*

Ad tertiam vocalium transeo, illam virginalem: est enim I puellis apud nos in ore, vt videatur corrumpi neq; facile posse, neq; velle: an enim quis:
Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ:
I bone, quo tua te virtus vocat, I pede fausto:
aliter pronunciet, quàm simplicissimè? tamen huic quoque insidiæ alibi structas accepimus. Namq; integra mansit quocunq; ego veni. Tamen quia olim in urbe quoque quædam dictiones per I prolatæ ab alijs per E I diphthongum proferebantur, quod ex priscis inscriptionibus palam est, vt illei, heic, ieis, illeis *pro* illi, hic, ijs, illis: *hinc igitur factum puto, vt & hodie Angli I identidem per EI pronuncient, neq; tamen in scribendo EI, sed I, vsurpent: sæpè eius pronunciationis insueto risum movent, neq; nihil molestiæ creant: vt cum dicunt* beibere, sceire, ceives, *pro* bibere, scire, cives, *sed quid hæc ad nos, cum, qui à nobis longissimè dissident,*

a4

ab ijs nostra lectum iri, non speremus: nec meum est cujusq; generis sordes aliarum gentium excutere. Neq; tamen non & nos I violamus, non vocalem, sed quando alicujus consonantium vim obtinet, de qua alterius valoris ad litteram g dicemus.

Sequitur O quarta vocalium, quæ per Germaniæ aliquot regiones, & ipsa non leviter deformatur: neq; enim pauci, quemadmodum, vti dictum est, A in O rapiunt, ita O obscurant, & propemodum in Orcum detrudunt, aut, vt ita loquar, incrassant per V: potest fieri vt magis quod volo, intelligatur per O ô circumflexo insignitum: quod cum oculis fortè, non ita verbis queam subjcere, volo experiatur quis auribus, Audies enim, OLIM ab hoc obscurè admodum pronunciari, ab altero vt sonet aliquid clarius, ore apertiore aliquantulum, cum alij pigro & plus quàm semiclusō pronuncient.

Reliqua vocalium est V: eádem videlicet figura aliam vim habet: de hoc agemus ad litteram F. Vocalem autem V Belgæ pronunciant, & alij nonnulli, vt υ Græcum vel Germanicum ü: quod interdum non esse falsum, ipse suspicor: præsertim quando u breve est: neq; tamen de hoc quidquam mihi decernendum sumo: longum V rectius meæ sententiæ obscuriùs pronunciabimus, fere vt diphthongum Græcum ου: sed & de hoc committo grammaticos, ratus in hoc non adeo magnam insulsitatem committi. Gallinæ nobis sunt Hün̄er: sic non pronunciamus ünus, sed unus, ac sisit, οὖνος: Vlpianus, vt Ουλπιανὸς.

Hæ sunt vocales, sed, quæ ex ijs conflantur, diphthongos non præteribimus. In hisce hodie non recen-

sent

sent EI, cujus ante meminimus, vt ante occasum Romani imperij sive linguæ abolitam: relinquuntur ex decretis grammaticorum, AV, AE, EV, OE: de harum AV & EV, pronunciatione, quod audierim, neq; hodie quisquam dubitat: vt cum scribitur, Auster, Augustus, Eurus, Euridice, ita & legitur & auditur, orthographia duce, quæ nos in perpetuum in legendo debet ducere. Neq; enim aliam ob causam inventa est: quin, nisi hoc vellet & posset præstare, periret per se, exterminata ab omnibus. Venit in mentem de AV quam deturpetur sæpius, quando aliqui, oudio, ouctor, ouris, ourum, pronunciant, pro audio, auctor, auris, aurum.

Relinquitur de AE & OE. Ambæ enim hæ diphthongi aliquot sæculis vim suam perdiderunt, neq; hodie dignitatem suam tuentur, partim desuetudine, partim vicio sive infelicitate diphthongorum: quarum me non propter ipsas miseret, sed quia ita affectæ nos à pronunciatione magis alienant: parum abest, quin ab omnibus vt E pronuncientur. Quod cum fit, vtraq; jam, quod audit, esse desiit. Neque enim sic duo soni sunt duarum vocalium in vna syllaba: imò vna vocalis, & duæ, nomine diphthongi, vnius soni sunt. Remedium huic rei dicere forte, facere, vti nunc sunt mores, ne imperator quidem posse videatur: vsq; adeò invaluit consuetudo, cujus videtis quanta tyrannis sit. Ætas, ævum, plurima alia, retinentur inscribendo, pronunciantur perperam, etas. evum. & similia. Quid facias? illa sincera malim, his vtor, tum quia sic ineptire doctus sum ab infantia (namq; non memini id tempus, quo primùm figuras litterarum viderim, valorem audie-

audierim) tùm quia in vita hasce duas AE & OE recte, si rationem sequamur, pronunciari audivi ab omnium nemine. Orthographia, sive perperam facta à librarijs scriptio, in causa fuit initiò, & est in hunc diem. Scribebant omnes me puero, MECOENAS: sic tum didicimus: postea docuimus, scribendum, MAECENAS. Est enim Μαικήνας. Græca autem scriptio nos ab illo errore vindicavit: scribebant FOELIX, quod est FELIX: etenim φήλιξ est. Hic in duabus diphthongis fortè novum consilium capere non poterimus, etiamsi rectum in promptu sit: neq; rectius esse sanus dixerit: quàm si duæ vocales in una syllaba audiantur, quæ genuina diphthongi definitio est. IE monosyllabon Latinæ linguæ diphthongus non est: sed Germanorum, neq; tamen in Saxonum nationibus, si rectè memini. Nos enim interdum pravè imitamur alios, quando dicimus jederman / vsi I pro consonante, cum sit in diphthongo IE vocalis prior, vt in viel / quod plus significat: neq; enim hoc rectè pronunciatur διφθογγον, atq; ita erit Latinis vile, quod cum multitudine non congruit. Quia nostram dialectum attigi, habemus & coincidentes in Græcas ου & ει, Ai & Ei / quorum interdum vsurpatur una pro altera, vt Heinrich / Hainrich: quod etiam Henrich / neq; nullis, Hinrick. Sed nostræ gentis pronunciationem cum non instituerimus, ineptum est in ijs progredi, quæ non sit animus, imò alienum persequi. De Græcis diphthongis neq; hic dicendi locus est: sed quia hæc nostris hominibus scribuntur, non quidem persequar Germanicas, de vna monebo satis in plerisq; linguis peregrina, vt Saxones in ea pronuncianda sint cautiores. JE enim mo-

nosylla-

nosyllabon diphthongus est, ut in jederman, ferè ac si sit I, non jêderman. Hic errant sæpè, qui non faciunt discrimen inter diphthongum & alterum monosyllabum IE in quo I vim consonantis obtinet: observare namque oportet quando diphthongus sit, aut alterius generis syllaba: in jederman est diphthongus: in jene / cum de oppido loquimur, est altera syllaba. Sed tempus est, ut ab alienis ad institutum revertamur, à vocalibus & diphthongis ad consonantes, quarum prima est B. Huic cognatio est cum P, ut tenuibus cum mediis: namq; de aspiratis, Φ, χ, ϑ, hoc loco nihil refert dicere. Mihi si olim obtigisset dignitas Grammaticorum, quam ipsi jam præscriptionis quasi jure tenent, ego hasce tres B, D, G, appellassem molles sive teneras, alteras P, T, K, duras sive horridas, quod illæ mollius, hæ proferuntur durius. Prima mollium est B, cui si sua, nempe mollitiei, conditio concedatur, causæ ad querendum nihil habeat. Verum petulantia sive insciti aliquando permutantur, ut ubi B sit scriptum, P pronuncient: nec minus frequenter contrà, ubi videas ante oculos P, lingua B proferat. Audies enim dici, brædium, pro prædium: brædium pro prædium: bronuncio, pro pronuncio: similia horum auditione quoq; insolentiora cuivis facile in mentem veniant: apud nos tamen hæ duæ litteræ minus violantur, neque inter sè permutantur. Est enim in permutatione hac violatio. Non dicis, ponum, pro bonum: neque peatus, pro beatus: etsi audivi, qui in hoc frequenter consuetudine peccarint: minus tamen apud nos.

Consonans C, sequentibus A, O, V, rectè legitur ut K Græcum: caritas, comes, cura: sequentibus e & i, veteres

veteres quoq; paululum variasse existimantur: de quo vt nihil contenderim, ita crediderim, ad K, quod diximus, accessisse proximè: quin Cyrus, sit Κύρος, minus dubito, quasi fuerit sitúe nativum K. De CADERE, non dubitatur: CAEDERE & CEDERE eodem modo hodie efferunt, ferè ac si vtrumq; sit zedere: de emendatione in Ce & Ci, & ipse despero: in his alij aliis magis sibilant, quas ego differentias vix auribus ipsemet distinguo, nedum oratione indicem. Cibus, citò pronunciant ferè quasi sit zibus, zito: alij ineptius, sive inusitatius, quasi sit sibus, sito, nescire, ac si sit nezire: quos emendare nequeo, relinquendos censeo, imò relinquo, quod emendare nequeo, & ipse erro cum omnibus: quid enim non solum cum alijs omnibus, sed mecum, nullo profectu, pugnem? De CH, quemadmodum Florentini pronunciant, frustra hic moneam, quibus Hetrusca lingua ad pronunciandum libera relinquitur, vt cum dicunt cane, cania per ch sive χ gracum, ac si sit χάνε, χάνια, sive chane, chania: sed hoc vt dissyllabon.

D litteræ recta pronunciatio in promptu est: etsi multi τῷ D de consuetudine T substituunt: dicemus DEVS non TEVS aut THEVS: BONE DEVS, non BONE TEVS. Neq; permutandæ sunt, Te DEVM laudamus, vt qui pronunciant: DE TEVM laudamus, & eorum similia.

Neq; cum causa dubitari de litteræ F valore potest: neq; tamen non à multis confunditur, cum V consonante: frequentantur Fita, Fenio, Folo, pro vita, venio, volo. Non vatum vere, sed fatum ferè: & vicissim non fatum ferè, sed vatum verè, vti rei significatio

tio postulat, vt aures discernant vnum ab altero: sic ferre à verre, & verre à ferre. Hoc insuetus audio & experior grave. Igitur, quod initio imperavimus, ab infantia ad rectam sive minus falsam pronunciationem assuefaciendi sunt pueri: quod intellectum velim non minus de lingua Graeca pronunciatione: idq; & de aliis, & cum primis de materna accepium velim: sed est de F & V consonantis pronunciatione quaestio, quemadmodum inter se sono differant: deniq; quid sibi velit, sive significet V consonans. F non est Φ, sed ipsi affine quiddam habet, quod Φ habere creditur quippiam vehementius, quod ego neq; disputo, neq; demonstradum mihi sumo. Φ est ph: hoc vt dialectici loquuntur, dicas petitionem principij: quod idem dicatur neq; explicetur id quod quaritur. Esse vi quidam putant pf. non item puto, vt Pfund/quod est apud Saxones Pund/ Latinis pondo: vt pavu, Latinis pavo: etsi neutrum per Φ aut ph scribitur: sequitur de cognatione hujus F & V consonantis: dicam qua accepi ab amicis in sermone familiari, vbi neque nuga tractantur serio. Monebo prius, etiamsi hoc fortè neq; videatur, neque sit necessarium. V consonans de qua nunc agimus; & haec vocalis scribebantur olim in ipsa vrbe, iisdem litteris, sive eodem charactere, quemadmodum monumenta vetustissima, qua oculis vidi ipse plurima, testantur: quod tamen & initio factum, & omnibus posteà seculis, quamdiu Romanus sermo floruit, retentum miror: poterat hoc initio aliter institui, aut sequentibus seculis mutari. Quod cum fuisset neglectum, mea tamen memoria exorti sunt, qui fortasse rectè; sed non in tempore saperent. Repererunt enim novam figuram V con-

 sonan-

sonantis, itemq; consonantis I, de qua inferius: qui si privatim scriberent, facerent absque mea reprehensione, quod vellent, sed inusitatas duarum litterarum figuras in typographias intulerunt, paucas tamen hasce & ignobiliores: ita tamen elegantes, si diis placet, ac si aciem instruens inter Europæos, sive Æthiopas, sive fabulis proditos Pygmæos colloces. De Flittera, quod ad has nugas plus satis dixisse lectori videbimur, nisi quid de idiomate germanico adjiciamus. Cognatio esse intelligitur ab omnibus inter F, & PF, ne de PH dicam denuò. Nam quæ ipsi cognatio cum P & B, longinquior est, quàm vt hoc inquirendum videatur, ne dum disputandum, aut lis suscipienda, cum non sit actio: neq; fortè hujus aliquid: neq; in cognatissimis discernendis per demus operam, cum qui viderit, qui legerit, qui audierit, in nullam partem, dubitet. De germanico F monebo, non nos qui, opinor, hoc intelligimus, & observamus. Exteri, qui in omnibus pronunciant Flatinum, vt in Facio, Finis, aut vt in nostro, Fein/ facile aberrant. Sæpenumero enim pronunciamus, idq; fieri omninò oportet, multo mollius. Nam, Freund/ From/ Freilich/ Frölich/ sunt per quam similia consonanti V: pronunciata per acrius F fiunt absona & prorsus horrida. Nam dum loquimur, vergimus ad aliquam mollitiem, ferè ac si sit V Vreund/ vrom/ vreilich/ vrölich. Sic pronunciatur Vratislavia, non Bratislavia, vti ego solebam scribere, non absq; nullius reprehensione, neq; tamen absq; ratione: sive Wratislavia. Etenim Fratislavia horrido habeatur horridius: neq; vel à Silesiis feratur, vel à Polonis. Verum de vi V consonantis quæritur: denuo hic

mihi

mihi in mentem venit consuetudinis Romanorum scribentium eadem figura vocalem V, & consonantem V. Ego pro abolito seculo causam dicere non decrevi: audiam, si quis hoc nomine in forum veniat. Cæterum hoc quis me doceat, dicámne Venio, *an* Wenio: Ventus, *an* Wentus: Vinum, *an* Winum. *Ego illud servo, cui assuevi, hoc forte quis cum ratione tueatur, etsi admodum tenui. Quæ ex latino sermone Germani habemus multa sunt, quæ quis conquirat, pronunciantur per nostrum VV geminatum:* Ventus Wind/ Vinum Wein/ Verum War/ Veritas Warheit. *Sic in alijs ab his descendentibus:* quando wann/ quis wer/ quietus *hinc* Quitantz. Quarta *pars* Ein qwardt/ *A* quiete qwieten/ qwitiren. *Neque vero scribere* queiten/ queitiren: *etsi illud, ut minus fuerit in usu, probo magis. Sed quia harum dictionum initiales sunt duo Q & V, dicam quorundam Polonorum aberratione, qui ex hisce duabus litteris syllabam faciunt, sequentibus seorsum relictis ad pronunciandum: ut* Quare *ac si sit Q, V, A, RE, ac si sit trisyllabum.* Qui, quem: *ac si sint dissyllaba, Cu, i, Cu, em: sic vulgus audivi dicere. Nam qui diligenter erudiuntur illic, nobiscum faciunt, nedum errent principum filij, qui etiam exteras nationes adeunt.* Adijciam quod ad pronunciationem & orthographiam simul pertinet, quæ omnino sunt conjunctissimæ. Orthographia pronunciationi præit, vti dux in omnibus. *Hoc quoq; quando toni rationos simul ducit, moneo, quod maxime ad scribendum pertinet. Aliquando Q V E ἐγκλιτικὸν est, aliquando dictionis altera pars. Sic quando est, acutum præcedenti syllabæ scribere non*

oportet. *Gravis enim nunquam scribitur, semper intelligitur, quando syllaba neq; acuitur neq; circumflectitur: vt in his,* denique, itaque, atque, ubique, ubicunque, undique, undequaque, quisque, quicunque, quæcunque, quodcunque, namque, neque, *& quotquot hujus farina sunt, in quibus QVE adjectitia est, & terminat dictionem.* In omnibus ubi QVE pro ET usurpatur, acutum imperant scribere. *Oportet autem & initio & in perpetuum his dominis dicto audientes esse, nisi risu vapulare hujus rei intelligentiorum malimus, quem neq; fortunatiores pecunia, neq; reges autoritate sceptri redimant. Etiam Philippi filium perperàm de pictura judicantem ridebant apud Apellem pueri, qui colores terebrent. Quod ad litteram F, satis superq; dictum: alius quadam supervacanea, dixerit, in quo ero reus confitens: alius nescio qua desiderabit: qui volet, catera quærat ex alio.*

G. Lector autem, si quis erit, expectet in acie sequentis militis virtutem. Hac igitur ambigua est, vti ferè omnium, quando quæ pronunciamus, non ex ore dependent. Sunt, inquit G, alij atq; alij, quibus mecum res est: me vtitur bonus benè: ab homine nequam vapulo. Vtinam sit vnus nequam, sive vnus mihi herus imperiosior, vt hodiè Cefferunt, fortè mihi cum ipsa magna sit cognatio, fieriq; potest, vt propter meam nobilitatem illa me in familiam adsciverit. Quod mihi cura non est, etiamsi ordine me prior sit. Ordo enim non rationis semper est, sed plerunq; imperij: nec ex eo tamen ex animi sententia pendendum. Hanc scientia dirigit sive administrat, certè verò cujusq;

jusq; conscientia. Quod ego G sim, elegantes etiam tueri noverint: etiam cæteri, quibus nota sunt Ga, Go, Gu: sed in Ge & Gi, habeor aliorum atq; aliorum arbitratu. Queri desinam, reliquum permittens scriptoris calamo, cui, scio, in re quamvis minuta, vt videtur, etsi magna est per se, de cujus hic dignitate & salute agitur, veritatem curæ cordiq; futuram. Videtis litteræ G conscientiam sive confidentiam. Ejus dignitas sive authoritas, sive vis, ex iis syllabis apparet, quas ipsa attulit in medium: præ dolore relinquit mihi tuendum sive disceptandum reliquum. Causidicum non agam: testimonium dicam, quousq; novero, neq; tamen celabo opinionem meam, judicium relinquam intelligentioribus sive potentioribus. Hi enim interdum plus valent, quibus illos cedere oportet. Ad rem venio, si tria exempla de quibus in dubium nemo venit, sequamur, dicemus Ge & Gi, atque ego hoc facerem, imò faciunt Germani propriscæ animi integritate. Prorsus enim genero *&* gigno, *vt G efferimus, sicut in Ga, Ge, Gu:* gaveo, gabius, guberno. *Nam statim sequente ante vocalem aliqua consonantium, G facile dignitatem tuetur suam, vt in* gratia, Græcia, gloria, *similibus: hoc suffragio, sive Germanorum sententia, G vicerit: sed Itali non parcunt victrici G, & nos (fatendum enim est) alia ipsam injuria afficimus: nostrum aliqui inquam, cum indignatione aliquorum. Prius astutiam Italorum videamus & petulantiam: estque eorum injuria sensenda major, quod ipsa G Romana civis est, nisi Græcam dixeris: faciunt ex G sibilum, aut sibili similitudinem, sive potissimum, sive Etrusca lingua, quam in cæteris adorant, vti reginam. Pronunciant*

 autem

autem regina, ac si sit ferè resina: sic gero ac si sit fero propemodum: ita semper G tractant sequente E & I. Tamen cum in suo sermone Ge & Gi, vti nos etiamnum pronunciamus, tueri non possint, invenêre novum artificium. Adiciunt enim litteræ G aspirationem H, quam, vt paullò pòst dicetur, nullo loco habent alio, quàm inanimem statuam: scribunt enim, GHE, & GHI: vt in his, vagherra, elegantia, splendor, non illic vagerra, etsi nos legamus, vt illi legendum significant: larghe limosine, largæ eleemosynæ, nos legamus, largæ, id flagitantibus litterarum characteribus, pieghe vola, flexibilis sic, nighittoso, Ghibellini, ghiaccio, lentus, Gibellini, de factione illa nobili, glacies: cum tamen tale in Latino sermone neutrum neq; scribant neq; pronuncient. Altera est eorundem injuria, sive abusus litteræ G, cum scribunt, Bologna, Ingegno: quæ nos pronunciaremus, quemadmodũ præmonstrant scriptæ litteræ: illi autem efferunt Bologna, ferè ac si sit Bo lon ia, tribus syllabis, vt I sit in vltima consonans: sic ingegno, ferè ac si sit, in gen io, tribus syllabis, I similiter in vltima pro consonante accepta, sed hoc valet in Italica lingua, vbicunq; gn connectuntur: etsi Itali vt plurimum ita scribunt, vti litteræ latinæ sonant, secus atq; Gallis est in consuetudine. Errat enim, qui, quibus litteris Gallica scribuntur, ijs pronunciare in animum inducat. Verùm relinquamus peregrinas, & agamus paullulùm de nostra. Nos enim cruciamus G, sive nostrarum nationes aliquæ: eæ autem, quæ suum idioma antè corruperunt. Cum enim cognatio sit inter G & I consonantem, quidam vnam pro altera vsurpant: vt, Joth/ pro Goth/ ieben/ pro geben: iaukeln / pro gaukeln.

Contra

Contra Gena, pro Iena. Imò sunt, qui pertinaciter scribant Gena. Ex hac Misnicorum & Thuringorum depravatæ pronunciationis consuetudine provenit, vt latina multa eodem modo inter legendum & loquendum confundant: vt gaudium, Georgius, legunt ac si sit iaudium, Ieorgius, *in quibus & similibus vsurpant I consonantem. Hinc in vernacula lingua scribunt nonnulli* Jörg/ *pro* Georg/ *quorum tamen hoc verum est, illud fertur nihilominus.*

Porrò Hita extenuarunt quidam Grammaticorum, vt hodiè alicubi animam quoq; amiserit, ferè vt eius dignitas vindicanda esse videatur. Hanc tamen apud nos, sive Latinè sive Germanicè pronunciemus, retinet, videlicet asperitatem, præmissa cuicunq; vocalium: Han/ Henne/ Hun/ Hin/ Hans/ Henrich. Sic habere, hebere, hinc, honos, humor. *Hæc eorumq; paria ab Italis sic pronunciantur, quasi nulla nota esset, eiusquè vigor à pronunciantibus excluditur, ac si sit,* abere, ebere, inc, onor, umor. *Hæc obiter inycio, vt alias quoq; gentes in pronunciandis Latinis passim errare intelligatur. Itaq; ipsis idem sonant habitus & abitus: hac & ac: horum & orum. Deniq; Italis initio dictionis scribatur non scribatur, vitæ animæq; expers omnino est H. Neq; habent quo proprie appellent, quod nos HA dicimus. Nominant enim ACHA, sive AKA. Abutuntur autē hoc charactere, sive sibi vtuntur in quibusdam litteris aliter pronunciandis. Primùm enim cum in sua lingua nusquam vtantur litteræ K, sive nusquam scribant (nam eius valorem & vim habent & observant) itaq; adiyciunt H litteræ C, scribuntq; CHE, CHI: quæ hospites legunt, quasi (scribam*

enim Græcis litteris) sint χε, χι: quæ illi dicunt Ke, Ki, nosq; scriberemus per K. In pronunciandâ litterâ H scriptâ in medio, errant non minus Itali, quàm nos. Diversus autem error est. Nos enim mihi, nihil, pronunciamus ac sisit, michi, nichil: atque hæc consuetudo prorsus falsa ita inolevit, vt neminem ferè nostratium aliter hæc pronunciantem audierim: cum tamen in promptu & facilimum sit dicere mi hi, ni hil, quæ pronunciatio prorsus verissima est. Itali dicunt miki vel mikki, nikil, vel nikkil, inde fit, vt qui minus in orthographia eruditi sint, etiam scribant more pronunciationis Italicæ linguæ michi nichil: neq; tamen pronunciat per χ vti nos, sed per K.

Quæ liquidæ indigitantur à grammaticis, L. M. N. R. robustiores sunt plerisq; alijs. Neq; enim facile cedunt importunitati pronunciantium, vt comparari cum aquâ, aut quacunq; re liquidâ debeant: sed retinent earum quæq; suam stationem, sive genuinum sonum: in ijs, quia.

L aciem ducit, sæpe triumphat ob clarum nomen, quod obtinuit à magistris dicendi, qui ab ipsâ inclarescere orationem memoriæ prodiderunt, vt in ἄλλα, & similibus, audire est: idem auditur in HALLELV-IAH.

R autem, quanquam canina est, & dicitur, neq; tamen ipsa silet interdum, seq; tractari iniquius patitur, imò gaudet. Nam pueri, & quibus dentes imbecilliores, in ea aberrant, neq; errores queunt dicere, dicunt autem elloles. Hi R pro L. habere existimandi sunt. Neque pauci laborant hoc vitio, vel inviti, & ab eo se liberari desiderant. Quin ille ora-

tor

por Græcorum longè clarissimus, qui omnibus palmam præripuisse creditur, hanc quoq; litteram male habebat. Non potuisse enim fertur, cum ingenio ad eloquentiam ferretur, primam artis, quam affectaret, litteram pronũciare, neq; ῥητορικὼ dicere, neq; ῥήτωρ. Hoc vt disceret, vim ipse sibi fecit. Etenim se raso capite detrusit in adiculam, vbi plusculos dies se torqueret, donec ab hoc errore se vindicaret: quod interea obtinebat, dum renatis capillis in publicum rediret. Tanti erat Græcis elegans pronunciatio, & huic vnius saltem litteræ, Græcorum non illius, sed omnium sæculorum eloquentissimo Demostheni. Igitur illius re negligentia barbara censetur non injuria: ce barbarum est, pronunciationis insulsitas. C re & magistri dicendi, quibuscum ego me non c ro, & Græci & Latini, de singularum litter nunciatione, perreligiosè egerunt: ego si no adscriberetur, quod fieri non vetem, rid phistrioni dix: sic enim imi subsellij sophist quorum etiam pueri in sapientiæ temp vendicant.

Reliqua est, ἄσημον vocant, Σ. sin habita & dicta, quod sibilum spirat: ch pens assurgens S, aut Græcis quoq; amph alteri capitum hoc pacto, C. Cæterùm hæ etsi vtrius esse sexus dicatur, obstetrices beam, sed ipsum σίγμα, mirum quanta miseria. Etenim si miseria est, amari crum esse nimis, vt aiunt, apud Suevos meritum in precio habita, vapulat, vt vi interea dum nimium colitur, sive elu

enim posit. Multi enim, quos simpliciores, vultu verbisq; colere se simulant, eos habent ludibrio. Videntur autem illi hunc terræ filium, sigma dico, in precio habere singulari. Pro uno enim sibilo, proferunt simul, non vnum, sed etiam alterum, (de vulgo loquor) aut tertium, si Saxo dicat sententiam: qui autem illinc ad nos veniunt, tempore illam sibilitatem mitigant, tamen vt audiamus ses quisibilum. Exempla non adscribam: frustra namq; hæc enim solis auribus rectissimè percipi, nemo non intelligit. Libet mihi conjecturam adscribere, id vnde natum videri possit. Est extra nostros limites Sch/ connexa tres, magnæ asperitatis litteræ, Schwein/Schwab/ Schweitzer/ schwer/ Schwerer/ &c. quæ nemo Saxonum ita prönunciet, nisi à puero, quamq; ingeniosior, ab adolescentia, se huc adsuefecerit: [illegible]imus enim & pronunciamus, Swin/ Swaue/ [illegible]er/ swar/ Swarmer: & Romani dicebant, scribebant pronunciabant, suavis, Suevi, non Schwavis, Schwevi. Relinquemus S, Suevicum, quo [illegible]ij quidem, vtuntur, qui peregrinitatem [illegible]ationem colunt. Si S, queri velit, non miabeat, quàm G, miserabilis. Etenim cum [illegible]n esset nullo loco, etsi apud serpentinos valen, ibi tum Athenæ, & pauculi è poëtis conate initia, vt licet conjicere, egere cum S, [illegible]m S, vt referam: fieri potest, vt Athenienssionem novæ injuriæ præbuerint. Etenim [illegible]: elegans, & quia felicior, molliora spectam, quòd R tulerint, eius vicinam: S, nihil um in perpetuum exilium agere nulla justi[illegible]rant: tamen non tam lege, quàm violentia ipsam

ipsam è locis, vbi dignitas eius esset aliqua, semoverunt, fauore, credo, vicini T. Hanc enim in suam sententiam pertraxerant. Facile enim vicini vicinis invident, & malefaciunt iis, à quibus pendebant, &, si non palam, clanculam maledicunt: etiam malefaciunt. Ita miserrimum S è pluribus locis extritum illo sæculo accepimus. Σήμερον enim, quod vetus esset, & populare, sibi non ferendum putabant: τήμερον ajebant puellæ: hoc imitari amatores: deniq; in consuetudinẽ abijt: δίσιγμα minus ferebant: γλῶττ᾽ αν amabant, non γλῶσσαν, quæ erat antiquitus: neq; verò mihi libet hæc citare omnia, quod ipsa ad rem parum. Poëtæ Atheniensium, tãquã ipsius elegantiæ simij, & ipsi concepto furiè in Σ odio temerè sive fictitiam ob caussam, sive exemplo. V enim in populo, qui alios exemplo venerentu gnos, si fuissent cogniti, alios exemplo malit rint, quos qui intimè novissent, singula prosequerentur. Non solum eorum quentandum sibi Σ censuerunt, sed tra Scythiam: vt versus vniversi e ipsi Σ magistri dicendi fuere prorsi scio quis dixisse fertur, ferarum so homine dignum. Terentianus a sinistrè sentire videri posit, his ver S, promptus in ore est, agiturq; Sic lævis, & vnum ciet auribus Neq; enim carpitur lævor, neq; læ est. Sed caussam hanc meam esse ipsum Σ habet minus faventes mus sophistæ. Sic enim apud Athenæ. τῷ Σ, δωρικῶν εἰρήκασιν. οἱ δὲ μεσιη

ξενος φησὶ, τὸ σῖγμα λέγειν παρῃτοῦντο, διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι, καὶ ἀνεπιτήδειον αὐλῷ. *Neq; caret ratione, quod magistri dicendi in compositione, vt* Metacismum, *&* Labdacismum, *&* Iotacismum, *sic* Polysigma *vitare jubent, quod & Capella rectè monuit, vt,*

Sosia in solario soleas sarciebat suas.

De dignitate sive violentia T satis dictum antè fuerit, nec attinere puto, agere pluribus de V & Y.

De duplis quod peculiare moneam in mentem ...*n venit. X enim plæriq; debito more pronunciant:* ...*am nimis horridè Z, ac si sit, ß Germanicum, aut* ...*ris Græciæ, TZ, vt in* ΤΖΕΖΕΣ, *aut duplum ZZ* ...*vt dextrezza, Conclamatum hic putent le-* ...*et jam ducibus, movere castra, quô ve-* ...*nim cui invideam, aliorum lectionem,* ...*Sunt enim, aut erunt, qui hæc perse-* ...*, & felicius. Nihil vetet autem,* ...*, vnum atq; aliud superinijciant,* ...*sic ipse curiositate subijciam, quod* ...*neq; tamen prorsus ab hoc loco a-* ...*Neq; enim nulli latinitatem* ...*& de græca lingua delibant, aut* ...*acere jubentur. Pertinaces pro-* ...*inferiorum sæculorum Græciæ,* ...*erent, nisi valdè paullulum in-* ...*docere non possent, atq; ex ijs di-* ...*aullulum, hallucinantur in mul-*

...*nulli* de pronunciatione Græca ...*nixi rationibus & exemplis, quæ intel-*

intelligens & emendabilis nemo repudiaret, amplecteretur autem litterarum Græcarum non inelegans cultor. Pertinaciæ enim & insulsitatis incurij esse debemus. Scripsêre illi de singulis, à pueritia vsq; mea: quid vulgò obtinuerint apparet: mihi persuasere, quod viderer parum oculatus, vt Homerus canit. Ipse vix attigi scripto hanc reculam: (putatur enim esse nihili, quæ apud elegantiores est in precio) nisi quod cum alijs derisi Iotacismum, non illum, cujus memini paullò superiùs, qui fortè ab oratore, compositionis negligente, committeretur. Sed hoc Iotacismo nihil est absurdius barbariæ filio: quando in ore hæ litteræ & diphthongi eodem modo, videlicet vt ΙΩΤΑ pronunciantur, vt nullam quis animadvertat inter ipsas differentiam: hæ, videlicet I, vt anteſignana & auctor cæterarum, η, ει, οι, υ, illis quinq; diverſiſſimæ pro vna eademq; habeantur, efferantur, audiantur, addo videantur, non ipsæ, sed malè dicat infantulus: nempe, miti ti dritomos meg' aminon ie vijsi: pro meti toi drytomos meg' ameinon êe biêphi, μήτι τοι δρυτόμος μέγ' ἄμείνων, ἠὲ βίηφι: evidentius exemplum hujus absurdiſſimæ pronunciationis alibi productum memini. Hoc rogabo emendatores, in quo & ipsi hallucinantur, sed hac etiam puſilla re rectè feliciterq; cœpta proficient, & perficient deniq;, quod volemus, & in hoc quoq; genere debemus. Etenim, vt audivi ex pluribus, ο μικρὸν, non quidem ω μέγα faciunt, sed quiddam intolerabilius, quando id distorquent in diphthongum, aut diphthongo non absimile. Etenim œ diphthongus est, etiam pronunciatum celerius, vt Germanorum, ö, lentius, vt in verhönet / verhönen. Sed vna litteræ

est,

est, o & ω pronunciatione, *nisi quod tempore differunt. Hoc puto intelligere quemq3, etiam secus adsuefactum, & adsuetum perperam. Nitemur nullius auctoritate, prolato vnius Terentiani testimonio, his versibus:*

Litteram namque I, *inquit,* E videmus esse ad
Eta proximam.

Etenim vtraq3 E sonat, alterum brevius, alterum productius, vt H.

Sicut ŏ & ō videntur esse vicinæ sibi,
Temporum momenta distant, non soni nativitas.

Occurrunt alia, quæ vel ex hoc ipso Terentiano, vel ex alijs adscribere, non prorsus alienum videatur, sed plura accumulanda non arbitratus, jubeo lectorem, hujus studij patientem, ex alijs alia conquirere: neque nulla idem investigabit per se. Hic igitur hoc tempore & hoc loco harum nugarum terminus sive modus esto.

ADDITAMENTVM.

PAgella vacante, visum fuit monere scholarum curatores, quo ipsi modo hoc primum negotium, & minuta, vt putantur, alia, quæ huc faciunt, mirificè promoveant. Proficiunt quidem in hoc & omni huiusmodi genere nonnihil rationes: sed multo amplius, siue omnia præstant, qui rei ipsi

ipsi præfecti rem gerentibus pro auctoritate præscribant, quæ quomodo exequantur. *Exponam autam consilium singulare & nouum:* neq; verò ita nouum, vt hodie à me, aut ab aliquo sciolo excogitatum: quod in hoc potissimum, ex prisco sæculo renouatur. Nam quod ad lectionem & scriptionem, ita res plana & euidens est, vt, qui sanæ mentis sint, omnium improbaturus sit nemo. *Auctor autem sim scholarchis in primarijs ciuitatibus, vt præter receptum morem, pueritiæ magistrum præficiant, cui locum honestum item assignent, qui filios ciuium, eorumq; condiscipulos doceat, quæ omnibus nosse ex vsu sit, siue à litteris paullo adultiores abeant, siue in litteris perseuerantes, in quemcunque ordinem doctrina præstantium se referant: doceat autem scholæ alumnos, quotquot sunt, ante omnia morum aliquam elegantiam, & modestiam, commodam pronunciationem, elegantem & lectu non obscuram scriptionem, multum arithmeticæ, nonnihil geometriæ.* Sed qualem ego volo, & vos velle velim, eiusmodi non esse obvium, & ipse fateor. Primum autem non est, vt is Græcis & Latinis multis litteris sit imbutus: Latinè saltem nonnihil

nove-

noverit. *Hæc enim vernacula lingua commodè, quin etiam pueris facilius tradi possint, imò sic ipsis rectius inculcari: atq; fortè etiam debent, ne, dum in linguam simul & rem animadvertant, alterutro aut utroq; excidant.* Ne autem desit, via non difficilis est, ostensa verbo veteri: *honos alit artes*: nempe cuius doctrinæ præmia sint, eius magistros non difficulter invenias: dicam disertius, & sic dicto opus est. Vilissimè enim vulgo habentur, qui prima principia pueros docent: itaq; vilissimis talia demandantur: itaq; pessimè illa docentur, & propagantur ineptissimè. *Quare tali viro, & honestus locus est tribuendus, & non minus mercedis, quàm cuiquam cæterorum.* Non solum enim omnes scholasticos docet, sed prodest in vrbe quamplurimis, in quocunq; ordine. Ad omnes enim eius disciplinæ derivantur. Primum enim magnum hoc est, à tenera ætate insulsitatem morum, sermonis & scriptionis auferre. Nam, quod ad mores, nemo dubitat, nisi barbarus: in eo habebit & cæteros collegas sibi adstipulantes: & pueri sibi inter se exemplo erunt. In lectione autem non desudabit solus, sed ex adolescentulis, qui commodius

dius pronuncient, pueris & quibusq; tironibus præficiet, quos volet, & quos ipsi huic vsui magister ludi litterarij præterea assignabit. Ita quod nusquam erat, aut difficile videbatur, brevi facilè futurum apparet. Dixi hæc omnia posse materna lingua tradi: addo nunc, pronunciationem in vernacula quoq; quàm maximè flagitari, non solum si sententia dicenda sit, sed & in sermone privato, sive in ambulatione, sive in circulis, sive in cõvivio. Etenim *ex omni consuetudine exterminanda sunt, quæ barbara sunt, aut barbariei speciem habent, non minus, quàm nares abstergere, & manus lavare iubentur pueri.* Ad scriptionem venio, in quam hic magister operam quotidianam ponet. Semper enim qui discent ducere litteras, alij succedent alijs, tàm in vernaculo, quàm in Latino sermone. In vtrisq; characteribus delineandis velimus peritissimum, an vt discipuli magistrum assequantur? Imò, vt si non accedant proximè, scribant non turpiter, semper, vt scripta commodè legantur. Sunt enim, qui ab elegantia transeant ad novum artificium, ineptos dico litterarum tractus & connexiones, quæ & ipsa legen-

tes remorantur. In græcis litteris non minus eundem posse velim: neq; requiram tamen. Plæriq; enim, qui Græcè satis intelligunt, characterū rationem ignorant, quos nosse oporteat, certè in scholis, vt φιλέλληνα in his quoque pronunciandi & scribendi primordijs rectè præeant. Arithmetica autem, quis in quo ordine absque rei iactura caret? taceo, quo hoc, vti loqui, hominis est, vt qui numerare nequit fatuus rectè censeatur: qui parum hic profecerit, non longè à fatuo abierit. Hic autem nobilis mercator facilè disertus sit, vel quæstor, vel rei familiari præfectus: deniq; institor, atq; opifex. De principijs geometriæ pervelim alicubi periculum fieri: Arithmetica ingenium acuit, doctrina de dimensionibus plurimum. De vtilitate & necessitate, in rep., in militia, in astronomia, in architectura, in dimensionibus agrorum: deniq; in qua non item parte vitæ humanæ? Hic plura dicere nihil attinet: sed certi loci est, & id accuratè fieri oportet, quo magis intelligatur, quod sapiens suæ scholæ inscripsit: ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Nec prætereundum, quemadmodum, qui acri ingenio sunt, magis ad

omnia

omnia acuantur, acuantur verò etiam, qui obtuso esse visi fuerint. De musicis non loquar, quod hæc, vt à sæculo in vsu sunt, passim frequentantur. *Hoc, quod aperui, consilium rectius est, quàm multorum opera, qui pueros ad loquacitatem & opiniones educant, & exercent in dicendo infantes, ac expertes* omnis scientiæ. Hæc vero etiam hactenus. Idibus Mart. cIↃ IↃ cXI.

ALIA ACCESSIO.

CVM inanes pagellas plusculas lectori obtrudendas Typographus non putaret, quæsivit ecquid haberem in promptu, quod huc commodè referretur, discentibus in hoc genere profuturum, sive docentibus: venit hoc mihi in mentem, de quo ex me sæpe quæsitum esset, sæpe item inter nos conferremus, qui puerilis educationis ad virtutem & litteras aliquam curam, etiam vltro gererem us, quam ne quidem viri graves vmquam deponunt. Alij deplorabant studium latini sermonis, etsi summè necessarium, & in disciplina litteraria primum, par-

tim negligi, partim incommodè & perversè tractari: alij sciscitabantur, nihilnè quis depromat remedij. Namque alij grammatica negligebant, alij hæc ita colere videbantur, vt ex ijs regulis solis latinè loquerentur, si balbutire loqui esse putabimus. Res explicatu non est difficilis, neque subtili magistro indiget: neque tamen, opinor, prætereunda silentio, in qua discipuli neq; pauci aberrant cum quibusdam præceptoribus. Sunt enim, qui optimè ducantur: sunt qui rectissimè pueritiæ præeant. *Qui grammatica non discant, quæ tandemcumq; negligentiæ caussa sit, ijs sermonem hunc eruditum polliceri nunquam possumus. Non enim lectione sola quis latinum sermonem, è consuetudine omnium populorum vniuersi orbis in perpetuum sublatum, didicerit, vt opinio est, cui & ipsè subscribo, etsi me non fugit alicubi tentatum: & fieri potuit, vt successerit.* Si vulgus Romæ, & circa vrbem ruri loquerentur, vt olim, quamvis plæriq; inconditè & rusticè, illic eundum censerem ijs, qui eius linguæ studio caperentur: vt qui velint loqui discere, sive Polonicè, sive Hungaricè, vnus rectè in Poloniam eat, alter in Hungariam:

com-

compendio autem proficient, si quæ sint vtrobiq; præcepta, ijs simul vtantur. Tribus enim adiumentis facilius & citius profici, palàm est. Ita qui Gallicè, Italicè, Hispanicè discimus, illuc imus, interpretes sive linguarum magistros audimus, canones grammaticos non negligimus. Proficiunt, qui horum nihil negligunt, paucis mensibus, quod discentium neminem pœniteat, vt tutius illic peregrinentur, monumenta vtilia, quæ in cultissimis tribus gentibus multa sunt, bono suo cognoscant. *Hoc igitur Latinè quoq; discentibus primum, sive cum primis, quod legendi vsum puerilem statim comitetur, vt discant grammatica, ante omnia in inflexionibus expediti sint: vt vocabula quæ didicerint, facilè connectant: qui sic latinè balbutient: de ijs porro plus spei.* Vt autem Latinitas absque grammatica his sæculis non constat, ita è sola grammatica illa non conflatur. Hoc autem non pauci affectant, qui freti qualicunque cognitione grammatica, & loquuntur latinè, quod qui facit, vbi hoc necesse sit, ei non est succensendum, ob grammaticam illatinitatem, modo se rideri interdum minus ægrè ferat, & scribunt cum confidentia: in hoc

qui sunt, ne mediocribus quidem placent: ego omnes illos ferre, iam ab initio didici. Cæterum quia in confesso ita est, vt nemo dissentiat, *futuro latinitatis cultori imbibenda statim quædam grammatica; hoc igitur qui omittet, sibi viam Romanam ipse desidia obstruet:* qui in hoc vestibulo impiger sit, non ludet ille omnem operam. *Sed idem meminerit, multum sive certè satis temporis huic studio tribuendum.* Neque tamen est, vt verearis, multam ætatem hoc agendum: nec est, vt omnes, qui hac in re sunt, æquè sibi hoc curæ habeant: sed quiq; ad eum finem, quem sibi præstituerint. Primum enim qui destinentur artibus sive disciplinis, quas in consuetudine vitæ exerceant, grammaticis satis instructi existimentur, si latinè facilius intelligant, & non inquinatè loquantur & scribant, si & his opus sit. Facile intelligitur, me de jis loqui, qui theologos audituri sunt, vt adultiores plebem de pietate in templo doceant, qui iurisconsultos, vt perceptis legibus, causas tueantur, qui medicos, vt medicinam faciant: neque de ijs non loquor, qui latinos scriptores omnis generis suis vsibus legere decreverint; sive poëtas, si-

ve

ve oratores, sive historicos, sive informatores vitæ, sive consiliorum disceptatores, qui philologi dicuntur. Nolim horum quemquam grammaticis discendis sæculum occupari: vno libello, neque grandi, neq; nimis ieiuno commodè instructos, velim ire maturius, quò cogitant. Qui autem vel docere aliquando iuventutem velint, aut ad scribendum se conferre, plus operæ impendere grammaticis præceptis, & se exercere in scribendo, & pangendo carmine, præterea necesse habent, ni se identidem turpiter dare, & ab adolescentulis rideri velint. Deniq; qui ad oratoriam Latinam aut ad docendam Latinitatem animum applicant, persequantur grammatica penitus, nec ea de manibus deponant, priusquam se satis confirmarint. Pleniores grammaticos libellos legant, cùm qui hoc sæculo prodierunt, tùm veteres, quotquot sunt, nec ego vel his vel illis recensendis inhærebo. Nam qui sunt inferiorum sæculorum, atq; etiam præsentis, sunt in plurium manibus, vt Vallæ, Linacri, Micylli, Dabercusii: priscos illos in vnum volumen bona diligentia collectos reperias passim in bibliopolijs. Quos, qui

sedulò legerit, nec ipse carebit latinis litteris,& ijs discipulos rectè imbuet, depromens quæ quibus quando conveniunt. Iidem magistri non aberrabunt, si classicos item,vt vocantur, legant. Sed qui in academijs doceant, aut legationibus fungantur, quantum remittent de lectione quotidiana accurata, tantùm amittunt, & facultatis suæ, (artem enim non dixerim, ne quod magnum sit,atterere verbo videar)& dignitatis. Namq; orare dignitas est admirabilis, neq; adspernanda cultè docere & scribere. His fortè scriptis opus non erat,quod ijs, quæ vulgaria sunt, & pluribus nota, neq; mihi à iuventute mea incognita,& meliora litteris prodita sunt, & ab alijs in medium non magno negotio proferri possint,fortè & à me ipso, si vigor esset ille animi,qui olim fuit:sed mirè evenit,vt quam rectius plæraque intelligimus, ad agendum vires desideremus: si quid quis hinc decerpserit boni, id invidemus nemini: si qua desint,venia debetur teruncium danti pro aureo, qui non suppetat. *Valeant, qui calumniantur*, quodcunq; quàm bono animo, & magno studio facias. Tu bone lector vale secus,quàm malevolentiam valere æquum est. Helmæstad.ex ac. Iul. Kal. Maias, cIↃ IↃ cXI.

EPI-

EPITOME
ORTHOGRAPHIÆ
ALDI MANVTII &c.

PRæpositionem *a* Manutius vult scribi sine accentu: alij *ae* itemque *o* interiectionem, cum accentu, vt d
guantur ab ijs, quæ sequuntur, ita: *à*,
Acheus cum e simplici, Scaliger: *
Achæus cum æ.
Abijcio, adiicio & *obijcio* cum d
Adolescens cum o in secunda,
lescens cum u, Priscianus
Adsciſco, non ascisco vel asscii
Adsum, ut differat ab assum.
Ædepol & *edepol*: posterior
fertur.
Aënus, Lambinus: *ahenus*, alij.
Aemulus cum æ:
Aerumna cum æ, in prima, Fes
cum e simplici, Carisius: c
œ, Ennius.
Aethereus per e in penultima,
atherius per i, ut *aërius*.

Africa per f, Manutius, nõ *Aphrica* per ph.
Agellius non *A. Gellius:* venit enim ab Agello.
Alcedo, alcedonia Eustachius: alij *halcedo, halcedonia* cum h.
Alucinor: allucinor: hallucinor.
Ambitio cum t.
Amfractus cum m, Camerarius: *Anfractus* cum n, Scaliger.
[illegible]nœnus cum œ: *amænus* cum æ in secunda, alij magis probant.
[illegible]a absque h: alij *anchora* cum h.
[illegible]: Anclare.
rectius *Antemna.*
Xing/unico n, Manutius.
plici n, alij.
unico p, non *Appenninus.*
n c, non *Apitius* cum t.
n cum p & i: alij *Absinthium* cum
p, rectè: alij *absis* cum b: alij
æposito h.
q; h: *harena* cum h, Carisius.
rto.
um duplici ſſ, Gellius.
uplici tt: alij *atavus* unico t.
iccerſo.

Autor

Autor cum t, qui incipit aliquid: *Auctor* cum ct, qui auget, Lambinus: Alij addunt *author* cum th: priores scriptiones præferuntur.

Auctumnus cum ct: Lambinus potiùs vult *auctunus* vel *auctunnus*.

Auster, non hauster, licet veniat ab hauriendo.

B.

Bartolemæus, non *Bartholomæus*: quid *Barptolemæus*.

Bellua cum duplici ll, Manutius; vnico l.

Blæsus cum æ, à βλαισὸς.

Blatero: alij *Blactero* cum ct.

Benevolentia cum e in secu- *volentia* cum i.

Braca vel *Bracca* absque h.

Britannia cum duplici n n.

Brundisium, non *Brunduſium*, nius.

Bœotia, non *Bœtia*.

Buccina duplici cc, Festus: Isi *bucina*, vnico c.

C.

Cæcus cum æ, Perottus.

Cælebs cum æ, Festus; *cœlebs* p

Cælo cum æ, i. e. exsculpo.
Cælum, Hieronymus, Manutius, Lambinus cum æ: *Cælum* cum œ, Varro, Scaliger; Quidam *celum* per e simplex.
Cæmentum cum æ, à cædo.
Cæremoniæ cum æ in prima & e in secunda syllaba, Manutius, Goclenius.
Ceremoniæ cum e simplici in prima & secunda syllaba, Scaliger.
-us cum æ in prima, quasi *cæluleus*.
cum æ in prima.
m æ in prima; & *Cespes* cum e

genus armorum, Festus.
n p in secunda: non *Calphur-*
furnius.
secunda syllaba, Nonius;
a in secunda syllaba, Ver-

ultima cum œ: Varro & Fe-
cum e simplici.
h in penultima: alij *Cartha-*
ij *Kartago* cũ k in principio.
absque h, Frischl: Scaliger:
, *Charitas* cum h in prima;
cum k.
duplici ſs, Quintilianus:

Causa

Causa per vnicum s, Priscianus.
Cena cum e simplici, Manutius: *Cœna* cum œ, Scaliger: *Cæna* cum æ, Festus.
Cera per e simplex Veteres: alij *Cæra* cũ æ.
Cerialia per i in ante penultima, non *cerealia* per e.
Cetegus non *Cethegus*, Frischlinus.
Cetera cum e simplici in prima, Veteres: Scaliger *Cætera* cum æ in prima.
Cæstus cum æ: alij *Cestus* per e simplex, in prima.
Cinædus cum æ.
Circumvenio cum m; non *circunvenio* cum n in secunda.
Cloaca, non *cluaca*, Festus: *Clauca*, Victorin.
Clipeus per i, in prima, Gifanius: alij *Clypeus* cum y in prima.
Cœnum per œ, Scaliger, Priscianus.
Cœpi cum œ, Festus.
Cœtus cum œ.
Collega, non conlega.
Comissatio Festus, Scaliger, Frischlinus: *Commissatio*, libri Veteres: *Comassatio* aut *Comissatio*, *Comissari* aut *Comassari*, Lambinus: *Comessare* Torrentius.
Columella & *Columnella*, Priscianus.
Comminus, duplici mm, q. cum manibus, vt eminus q. è manibus. *Com-*

Comprehendo cum e ſimplici in ſecunda.
Condicio cum c, Manutius: *Conditio* cum t, Camerarius.
Coniux, non coniunx: *Coiux*, vetuſtiſſimi.
Conſidero, cum i, non cum y, Veteres.
Conſumare vnico m, Manutius: alij *conſummare*, per duplex m m.
Concio cum c.
Convicium cum c: alij *convitium* per t.
Cortina, non *Cortyna*, Friſchlinus.
Cuculus penultima producta, Eraſmus: alij *Cucullus*.
Cum per c hodie ferè: alij *quom*: nonnulli *qvum* vel *qum*.
Cunctari & *contari*.
Cygnus, cum g: alij *Cycnus*, cum c.

D.

Defæcare cum æ.
Deliciæ cum c, Feſtus.
Delectus, cum e, à deligo, Manutius: *dilectus* cum i, Feſtus.
Deſidero cum i, Manutius.
Diœceſis per œ in ſecunda: *Dioceſis* per o, Gifanius.
Dolabella cum a, in ſecunda non *Dolobella*.
Domitius cum t, Manutius.

Ecloga,

Ecloga, non *Egloga*.

Edo i.e. emitto cum e simplici: Calepinus adfirmat, se in antiquis libris *ædo* per æ scriptum invenisse.

Ejus cum lõgiori j nunc scribitur; *Eius* cum duplici ii, Veteres.

Eneania cum æ.

Endo antiqua præpositio, Gifanius: *Indu*, Lambinus, Turnebus &c.

Epistola cum o, Scaliger & Lipsius.

Epistula cum u in penultima, Gifanius.

Ercisco & *hercisco*.

Eruca simplici e & absque h, Pontanus: *hæruca* cum h & æ, Apuleius.

Etruscus, Veteres: alij *Hætruscus* cũ h & æ.

Evæ cum œ: alij *hevæ*: *Euhæ*, Flavius Sosipater: alij *Heuhæ*: *Evohe*, imperitè. Hæc Erithræus.

Esculus simpl. e, non *æsculus* per æ.

Exhodus cum h, non *Exodus*, Manutius.

Exsatio, *Exscribo*, *exsolvo*, *exspecto*, *exsulo*, *exsupero*, *exspes*, Manutius. Scalig. absq; s illa vult scribi, ut exatio &c.

Exsilium cum i, Lipsius: *exsulium* cum u, Lambinus.

Extemplo cum e; alij *extimplo* cum i.

Fabricius

Fabricius cum c, Manutius.
Facillimus & difficillimus gemino ll.
Fæsulæ cum æ, pro oppido Etruriæ.
Fæx cum æ, ut differat à feci præterito, Apuleius Grammaticus, Scaliger, libri Veteres.
Fanum cum f: alij *Phanum* cum ph: prior scriptio præfertur.
Fautor: antiqui etiam *favitor*.
Fecundus, fetus, femina, fenus, feneror, fedare, fetare cum e simplici, Manutius, Scaliger, Pontanus.
Fœtus cum œ: Lambinus, *fætus, fœcundus, fœmina, fœnum* cum æ: Varro, Agellius, Nonius superiora omnia cum æ scribi volunt.
Felix cum e simplici, Camerarius.
Fœlix per œ, Scaliger.
Fesceninus unico n, Festus.
Fetiales cum t, Festus: alij *Feciales* cum c, alij. *Fœciales* cum œ in prima.
Flameus, color, unico m, Festus.
Floccifacio duob⁹ cc: alij *Flocifacio* unico c.
Flamma duplici m, libri Veteres.
Fœdus cum œ.
Frenum e simplici, Manutius.

Frons

Frons cum o: Veteres *fruns* frundis cum u, teste Scaligero.

Frutetum & *Frutectum*.

G.

Galatea absque aspiratione in tertia syllaba, Erythræus.

Genitrix cum i in secunda syllaba.

Gleba cum e simplici: alij *Glæba* cum æ.

H.

Hadria & *Hadrianus* cum aspiratione: Græci *Adria* & *Adrianus* absque aspiratione.

Hagnes cum aspiratione, Pontanus.

Hædus cum æ, Lambinus: Veteres. *ædus* absq; h: alij *hœdus* cum œ, *hedus* cum e simplici, Pontanus.

Hannibal cum h, libri antiquissimi: *Annibal* absque h, Pontanus.

Hariolus, *hariolor*, *haruspex* & cum h veteres, teste Servio: alij absque h illa scribunt.

Have i.e. salve cum h, Pontanus: alij *ave* absque h.

Haud cum d, usus: *haut* cum t, veteres, Scaliger, Pontanus.

Hedera cum h, Pontanus: *Edera* absque h, Lambinus.

Heiulare & *Heiulatus* cum h, Pontanus.
Heluo cum h & vnieo l, Festus; *helluari* cum duplici ll, Agellius.
Herba cum e simplici: *Hærba* cum æ, Pontanus.
Herere Veteres cum e simplici in prima, Gifanius: alij *hærere* cum æ in prima.
Heres & *hereditas* cum e simplici in prima syllaba, Festus, Lambinus: alij *hæres* & *hæreditas* cum æ, in prima syllaba.
Heîc adverb. Veteres libri: alij *hîc*.
Helleborus cum h, Apuleius: *Elleborus* absque h, Pontanus.
Hibernum cum i, libri Veteres.
Hiems cum i, Varro, veteres: alij *hyems* cum y, ab ὑω.
Holus cum h: prisci *helus*, Teste Pontano: hodiè ferè *Olus* scribunt.
Horatius cum h, Fabricius: non *Oratius* absque h.
Hordeum cum h: alij *Ordeum* absque h.
Humidus cum h: alij *umidus* absque h.
Humillimus duplici ll, Scaliger.

I.

Idæa cũ æ in penult. syllaba: est epitheton magnæ matris Deûm.

Idea

Idea e simplici, est conceptus mentis, Manutius.

Idus cum i: quidam *Eidus* cum ei diphthongo.

Illic absque h, libri & lapides: non *illhic* cum h.

Illico duplici ll: Veteres *ilico* vno l, vt notat Gruterus.

Imber cum i Festus: alij *hymber* cum h & y: *himber* cum h & i, Pontanus.

Immo duplici mm, libri.

Incepi cum e, à capio: *incœpi* cum œ, ab antiquo cœpio.

Inceſtus cum simplici e.

Incipisso: Incipesso, veteres, teste Meursio.

Inchoo, Festus, Scaurus, Manutius: *Incoho*, Diomedes, Verrius, Flaccus, Tranquillus, Scaliger: *Incoo*, Camerarius.

Inclutus cum u, & *inclitus* cum i, Gifanius, Turpilius: alij *inclytus* cum y.

Increbesco absque r in tertia syllaba, Manutius: alij *increbresco* cum r: Turnebus vtramque scriptionem probat.

Indutiæ cum t, Manutius, Agellius.

Infitior cum t, à fateor, Festus: alij *inficior* cum c, à facio.

In primis, non *Imprimis*.

Internundinium, non *internundinum*, Victorinus.

Iohannes cum h: alij *Ioannes* absque h.

Irritare duplici rr: malè *iritare* unico r.

Istic absque h, Manutius: *isthic* cum h, Scaliger.

Iucundus cum u, in prima Cicero: alij *iocundus* cum o.

Iupiter vnico p: *Iuppiter* duplici pp non raro poëtæ.

K.

Kalendæ cum k Veteres, teste Manutio: alij cum c, deducuntq; à calare.

L.

Lacrumæ cum u: alij *lacrymæ* cum y.

Lacrimæ cum i, Pontanus: nonnulli *lachrimæ* cum h.

Lana pro genere Vestimenti, cum æ, Festus, Nonius.

Læva cum æ.

Lævis cum æ: alij *levis* cum simplici e.

Lagena e simpli: *lagæna* cum œ, Gifanius.

Lammina & *lamma* cum duplici mm: *lamna* cum mn, Gifanius.

Lapicidina Manutius: *Lapidicina* Festus.

Letum cum e, Priscianus, Manutius, Apuleius

leius, *lætum* cum œ: *lethum* cum h, Varro, Festus: alij *lætum* cum æ.

Ligurrio duplici rr, Lambinus, alij *ligurio*, vnico r.

Litus vnico t, Pierius: alij *littus*, duplici tt.

Littera, duplici tt, libri Veteres, teste Manutio: *litera* vnico t, Scaliger.

Lolligo duplici ll.

Lotium cum t, à lotum.

Lurco absq; h, Scaliger: Prisci, *Lurcho* cũ h.

Lympha cum y & h, Scaliger: quidam *lymfa* cum y & f: *limfa* cum f, aut *limpa* cum p, Frischlinus.

Lyceum & *lyciũ*, Commentator in Agelliũ.

M.

Mæcenas cum æ in prima syllaba: *Mœcenas* cum œ, nonnulli veteres: alij *Mecœnas* cum œ in media, contra omnem antiquitatem.

Mæreo i.e. tristor cum æ, Lambinus, Varro, libri antiqui: alij *mœreo* cum œ.

Marcius cum c, pro familia, à Marcus; non *Martius* cum t.

Messalla gemino ll, cognomen valeriorum, Macrobius.

Mi dativus absq; circumflexo, à genitivo *mis*, Scaliger, Gifanius.

Mille adiectivum duplici ll: alij *mile* vnico l.

Miſtus, non *mixtus*, Priſcianus, Scaliger, Friſchlinus.

Mœchor, *Mœchus* &c. cum œ.

Mœnia cum œ.

Monumentum per u in ſecunda: alij *monimentum* cum i.

Multa, veteres, teſte Manutio: alij *mulcta*.

Muſæum cum æ & *Muſeum* ſimplici e, Scaliger.

N.

Nactus in præterito abſque n: alij *nanctus* cum n, à nanciſcor.

Ne dum, ſeparatim, ut, *non nulli*, *non nunquam*, *nihil dum*, *non dum*, *nec dum*, Manutius.

Nefas cum f, à fas.

Negotium cum t.

Nummus duplici mm, Veteres libri: alij *numus* vnico m.

Numiſma & *nomiſma*.

Numquam cum m in prima, Gifanius.

Nenia cum e: alij *Nænia* cum æ.

Ningo & *Ninguo*, Scaliger.

Nuntius cum t, Feſtus, Lambinus, Scaliger: *Nuncius* cum c: Muretus *Nuncium*, neutrum improbat.

Obicis

Obicis genitivo ab Obex: *Obijcis* cum altero i, Poëtæ.

Obſcenus cum ſimplici e, Manutius: Scaliger, *obſcœnus* cum œ: alij *obſcænus* cum æ: alij *oſcenus* abſq; b & diphtongo.

Ocior & *ocius* cum i, Priſcianus: alij *ocyor* vel *ocyus* per y.

Ofella vnico f, Servius.

Olor: alij *holor* cum h.

Onus libri Veteres: *honus* cum h, Agellius, Pontanus.

Oportunè vnico p, Feſtus & libri Veteres: alij *opportunus* duplici pp, ab ob & portus.

Opperior duplici pp, Feſtus.

Oppidum duplici pp: *Opidum* vnico p, Scaliger, Lipſius, Turnebus.

Opſonium cum p, Friſchlinus.

Opilio cum o in prima: *Upilio* cum u, Poëtę.

Orcus abſque h: *Orchus* cum h in vltima, Veteres: alij *horcus*, à græco ὅρκος.

Oſtium ſine aſpiratione.

Otium cum t, Veteres, Lambinus, Q. Papirius.

Otto abſq; h in ultima, non *Ottho*, Friſchl.

P.

Pædor cum æ.

Pænè pro ferè, cum æ in prima, Manutius.
Pænitet cum æ, libri veteres: alij *pœnitet* cum œ.
Pænuria cum æ, Manutius: alij *penuria* cũ e.
Palatium unico l & t.
Papirus per i, non *papyrus*, Friſchlinus.
Paricida unico r, veteres: *Parricida* duplici rr, Scaliger.
Parnaſus & *Parnaſſus*.
Patricius cum c, in penultima.
Paullum & *paullulum* duplici ll, Terentius Scaurus; *Paulus* & *paululus* unico l, Priſcianus, Scaliger.
Penetrare cum e, & *penitrare* cum i, in ſecunda ſyllaba, libri veteres.
Perennis cum duobus nn; *Peremnis* cum mn, Feſtus, Lambinus.
Pignoris & *pigneris* cum o & e in ſecunda, à pignus, Priſcianus.
Pirata, non pyrata, Friſchlinus.
Plerique, e ſimplici in prima: alij *plærique* cũ æ.
Pœna cum œ.
Pœni cum œ.
Polla & *pollio* duplici ll, libri veteres.
Polliceor, *polluceo*, *polluo*, duplici ll.
Pomerium e ſimplici in antepenultima: alij *pomœrium* cum œ.

Poplicola

Poplicola cum o in prima, Manutius: alij *publicola* cum u in prima, Turnebus.

Portunus cum unico n: alij *portumnus* cum mn: alij *portunnus* duplici nn.

Posthumus cum h: *postumus* absque h, Turnebus, Goclenius, Frischlinus.

Prædium cum æ, Varro.

Prælium cum æ, Festus: *Prœlium* cum œ, Manutius.

Prælum cum æ, à præluendo.

Prætor cum æ.

Præs cum æ.

Præmefero unica dictione, Manutius.

Prensus Terentius Scaurus: alij etiam *prehensus*.

Precium cum c, Camerarius: alij *pretium* cum t.

Pro interiectio absque h, Festus, Veteres: *proh* cum h, Scaliger.

Proscenium cum e.

Proœmium absque h: *prohœmium* cum h, Pontanus.

Pulcer absq; h, Frischlinus: *Polcer* cum o in prima, Terentius Scaurus: *Pulcher* cum h, Scaliger.

Q.

Quamobrem, quemadmodum, quamplurimum,

mum, quamprimum, quamdoctissimus, vnicâ dictione scribuntur, ut, *sicut, velut, propterea, perbelle, admodum* &c. Man.

Quattuor duplici tt, Manutius: *quatuor* vnico t, Scaliger.

Queis & *quis* pro *quibus*, Veteres, teste Lipsio.

Quemq́. cum m, Gifanius.

Querela vnico l: alij *querella* duplici ll; nisi posterior vox diminutivum fuerit, ut à catena catella.

Quinctus, Quinctius, Quinctilius, Quinctilis, Quinctilianus cum ct, Manutius; Turnebus cum t duntaxat ea vult scribi.

Quo modo, quoquo modo, seperatim scribenda sunt, ut: *Si quis, prius quam, postea quam, ante quam, iam pridem, iam dudum, iam diu*, Manutius.

Quotidie vnico t: Poëtæ *Quottidie* duplici tt: *Cotidie* cum c, Victorinus, & Veteres, Quinctiliano teste.

Quoties absque n, Camerarius: *Quotiens* cum n, ut *centiens*, Veteres, Priscianus.

R.

Religio vnico l, Festus: *Relligio* duplici ll, Poëtæ.

Reli-

Reliquiæ vnico l: *Relliquiæ* duplici ll, Poëtæ, ut *relliquus*, *alituum*, *reij*, *rellatum* &c.

Remotus vnico m, Gifanius, Scaliger, Acidalius; non *remmotus* duplici mm.

Repperit duplici pp, Priſcianus.

Reprehendo ſimplici e in ſecunda ſyllaba.

Renus abſque h, Scaliger.

Rufus, *Rufinus*, *Rufinianus*, vnico f, Manutius.

S.

Sæpio, *Sæptus* cum æ in prima, Veteres, teſte Gifanio: Perottus *ſepe* nomen e ſimplici vult ſcribi; adverbium verò *ſæpè* cum æ.

Salluſtius duplici ll.

Sapho vnico p, Pontanus.

Sarctor & *Sarctum* cum c, Perottus: alij *Sartor*, *Sartum*, abſque c.

Scena e ſimplici, Scaliger: *Scæna* cum æ, Camerarius, Gifanius.

Scheda cum h & e: alij *Scida* cum i: *Sceda* cum e abſque h, Quinctilianus.

Socors & *ſocordia* cum o in prima hodie plerique: *Secors* & *Secordia* cum e in prima, Friſchlinus.

Seculum cum e in prima, Pontanus: *Secculum* cum duobus cc, Priſcos ſcri-

scripsisse ait Erythræus: *Sæculum* cum æ in prima, Scaliger, Festus, Manutius, Lambinus.

Septemtrio cum m, non cum n, libri M.

Sepulchrum cum h, Agellius, Servius, Valla, Pontanus: alij *Sepulcrum* absque h.

Sidus per i in prima, Veteres, teste Manutio: alij *sydus* per y.

Sigillatim, non *singillatim*, Manutius.

Sifo per f, non *sipho* per ph, consuetudo.

Simulacrum absque h.

Silva cum i, Manutius, Gifanius: *Sylva* per y, Scaliger.

Simillimus gemino ll, Veteres, Scaliger, Priscianus: *Similimus* unico l, recentiores nonnulli.

Sincerus cum i, Donatus, Scaliger, Goclenius: *Syncerus* cum y, Valla.

Soboles cum o in prima, nonnulli recentiores: *Suboles* cum u in prima, Veteres, Festus, Gifanius, Lambinus, Lipsius.

Solicitus unico l, à solo citare i. e. loco movere, Festus: alij *Sollicitus* duplici ll, à sollus Oscorum voce & cieo.

Sumsi absq; p, Gifanius: alij *sumpsi* cum p.

Superbia vnico p.

Solenne vnico l & duobus nn: *Solemne* vnico

col & mn, Manutius: *Sollemne* duplici ll & mn, Festus, Turnebus, Gifanius.
Sollers cum duplici ll, Festus, Manutius, Lambinus: alij *solers* vnico l.
Squaleo, vnico l.
Squama vnico m, libri Veteres.
Stilus cum i, Gifanius: alij *Stylus* cum y.
Strena vnico, n, Scaliger.
Sufenas vnico f, Manutius.
Suspicio cum c.
Succisivus: Subcisivus, Turnebus, Goclenius: alij *Subsecivus*.
Synhodus cum h: alij *Synodus* absque h.

T.

Tædet cum æ in prima, libri Veteres.
Tæter cum æ in prima: *teter* cum e in prima, hodie plærique.
Tæda & *teda*.
Tanquam cum n in prima, Gifanius.
Tensa sine h, Festus, Pedianus, Muretus: *Thensa* cum th, Scaliger, Servius.
Tercentum, non *trecentum*.
Tesqua per qu, Festus: *Tesca*, Varro.
Tera vnico r, Veteres: hodie *Terra* duplici rr.
Tetis Tethys, est Nympharum mater.
Thetis, Thetidos, fuit mater Achillis.

Thalia

Thalia cum i, in penultima, Scaliger.
Thalea cum e, Servius.
Thus cum h: *Tus* sine h, Varro, Festus.
Tiro non *Tyro*, libri Veteres, Manutius.
Torus absque h in prima, non *Thorus*.
Trans pro eo sæpe ab antiquis in compositione *tra* scriptum, ut tramissus, tralatus.
Triumphus cum ph, Priscianus, Scaliger: *Triumpus* absque h, Cicero, Frischlinus: *triumfus* cum f, Sylburgius.
Tropæum absque h ex τροπαίω: alij *Trophæum* cum h.
Tuscia absque h, non *Thuscia*, Pontanus.

V.

Valetudo cum e & *Valitudo* cum i in antepenultima. Priorem scriptionem præfert Manutius.
Vacillo vnico c.
Vacinia vnico c.
Vber absque h plærique: *huber*, *hubertas*, *hubertim*, *hubera* cum h, Pontanus, Apuleius grammaticus.
Vecors cum e: alij *Væcors*; *Væcordia* cũ æ.
Vesanus cum e, & *Væsanus* cum æ.
Veneo cum e in prima pro vendo; non *væneo* cum æ, vt non nullis placet.

Vertum-

Vertumnus, Si ab amne derivetur, cum mn: Sin ab anno *Vertunnus* cum duplici nn scribendum, Lambinus.

Vdus absque h, Camerarius: *hudus, a, um*, cum h, Pontanus.

Viretum: Virectum, Prisci, vt notat Erythræus.

Virgilius cum i in prima, Manutius: alij *Vergilius* cum e in prima.

Vitium cum t, à vito, alij à vituperio.

Vlcus absque h: *hulcus* cum h, Pontanus.

Vlyxes & *Vlysses*, Scaliger.

Vlula, ululo absque h: *hulula, hululo, hululatus, hululatio*, Pontanus.

Vngo & *Vnguo*: hinc *vnguen* & *vnguentum*.

Vitricus & *Victricus*.

Volcanus cum o, Veteres, à volando: alij *Vulcanus* cum u in prima.

FINIS.

In hoc libello continentur

1 Bibliographi Horatij Henrici Iulij Schurlb.

2 Iusti Lipsij de magistratibus veteris Populi Romani.

3 M. Andreæ Camerarij orationes Scholasticæ.

4 Respublica Iudaica autore Sebastiano Castalione.

5 M. Iohannis Fuchsii sententiæ de moribus.

6 Iohannis Caselij libellus de pronunciatione latini sermonis.

FINIS

AB 153846 (1)

ULB Halle
003 856 739
3

VD 17

Farbkarte #13
B.I.G.
Centimetres
Inches
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

JOAN. CASELII

LIBELLUS NOVUS.

DE

PRONUNCIATIONE LATINI SERMONIS.

Res hæc est omnium prima, & valde necessaria pueris Latinæ scholæ destinatis: neq; tamen tàm hoc agimus, ut vera & primæva pronunciatio postliminio in integrum restituatur, quàm ut insulsitates, quæ alibi aliæ annis etiam pluribus irrepserant, tollantur, aut certè minuantur. Sic autem etiam ad veterem & genuinam pronunciationem viam quodam modo sterni, non sine causa existimabitur.

HÆ NUGÆ SERIA DUCUNT.

Addita adsinem

EPITOME ORTHOGRAPHIÆ

Aldi Manutij &c.

Operâ

M. ERICI MULLERI, aliàs VVOLBERTI,

Scholæ Veteris Hildesiæ p.t. Rectoris.

GOSLARIÆ, Typis Nicolai Dunckeri,

Impensis Christophori Heidmanni Bibl. Hildes.

M. DC. XXXV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-363183-p0073-1